

123
OPITULANTE DEO!

De

NEQVAM.

philologica
DISPUTATIO GRAMMATICA,

Nutu Amplissimi SENATUS PHILOSOPHICI
in illustri ad Auram Aca-
demia,

SUB PATROCINIO

VIRI CLARISSIMI

DN. M. CRISTIERNI
ALANDRI,

Eloquentiæ Professoris Regii.

NICOLAUS STECKSENIUS

West: Bothn:

Edidit,

Die 20 Decembris Anni

MDCCI

B. C. D. ventilandam.

Exc. Jo. Wal.

Pl. Reverendo atq; Clarissimo

DN. M. HAQVINO BOHLIN,
Pastori in Siäla nec non Præposito
Districtus adjacentis, gravissimo.

Clarissimo Domino

M. NICOLAO FORZELIO,
Mathesios Lectori in Gymnasio Her-
nosandensi solertissimo ut & Consisto-
rii quod ibi est Assessori æqvissimo.

Venerando atq;

DN J O H A N N I
Sacellano in Veh

PROMOTORIBUS, PATRONIS atq;
adventat novus, omnigenâ
mis sequentibus ad pla-
tem

Pl. Reverendo & Clarissimo,

DN. M. OLAO Swanberg/
Pastori in Nåttra longe meritissi-
mo.

Spektabili & Clarissimo,

DN. JOHANNI PHOENIX,
Summi Judicii Regii quod Aboæ est
Advocato Dexterrimo.

Doctissimo,

SCIURENIO,
mo vigilantissimo.

**FAUTORIBUS suis, annum, qui
prosperitate lætum cum pluri-
cidam usque senectu-
voveo,**

Ancipiti dubitatione aliquantisper suspensum vrsabat animum, & suspecta ingratitude taciturnitas, & contempta memoria tam ex agoo declarata munere. Vecit tandem silentium, metus subeundi notam immemoris beneficii; utique enim cessura est res, qualecunque devotionis mee pignus exhibuisse satius est, quam tacitâ, ut ut vivax maxime fuerit, memoriâ, silere vestra beneficia, que nullo meo merito tanta steterint, ut iisdem predicandis verborum quo par est honore non sufficiam, tanto magis absit à me frustra polliceri ex equo remuneraturum, quod nec à vobis desiderari scio, nam ita vos esse affectos, non dubiis didici indicitiis, quod pro ut bona quibus fici, instructi divina deberi benedictioni, benè intelligatis, ita collata in famelicæ virtutis levamen, in tutissimo reponendi loco, & pro preciosissima divitiarum haberi parte, feliciter erogasse beneficia, piè in animum induxistis. Accipite jam in bonam, paræm tirocinia studiorum meorum, auspiciatissimis vestris decorata nominibus: spes, quam in solito vestro favore repono ut rata sit, vobis curæ cordique esse finite.

Ad quævis obsequia
destinatus

Nic: Stecksenius

LECTORI BENIGNO!



*Aspiduis crebrisq; querelis solent
 mortales sortem suam, hoc
 nomine, incusare, quod exi-
 guo pendeat temporis momen-
 to. Altiori vero iudicio rem
 secum ponderantes, dum fata sibi disponere,
 suarum non sit virium, non modo ea in consi-
 lium vertunt, & primam juventæ faciem, vi-
 tæ frugi devovendo, brevitati temporis, tam
 rapido currentis impetu, ob viam eunt. Semi-
 naque virtutis, ut pio divine gloriæ, zelo
 ducti, excolere nituntur; ita cœlesti subnixi
 benedictione proficuos letosque lucrantur ma-
 nipulos, quorum nonnulli eo amplitudinis pro-
 cedunt, ut fato functos, longa posterorum se-
 ries, piâ memoriâ ab inferis vindicet. Verum
 etiam cum vitam hanc tot tantisque eru-
 mnis & captiosis lenociniis expositam, oculis per-
 lustrandam subjiciunt, sinem ejus, quam, per-
 petuo timore degere debent, ne de stadio vir-
 tutis deturbati, in nequitiæ fœda præcipitia
 ruant summa alacritate expectant. Sed ta-
 tet angvis in herba: vereor enim ne gemitus
 isti titulum justî doloris, primo intuitu præ*

seferentes, prodant animum, vana imagine, rerum temporalium deceptum. Si in vitiorum sentinam oculos demittas, quantâ colluvie, nequitiae turbine fluitantium, eam inundari comperies, quos dum presentium rerum deliciarumque usus, absque ulla quasi satietate delectet, egre admodum è sedibus terrenis, animum abalienare possunt. quam autem iniqui sunt! cum longa vita de qua anxio animo unicè laborant, ultro se eunt defraudatum, nocivis indulgendo voluptatibus, vitium enim ventris & gutturis, non modo minuit ætatem hominibus, sed etiam auferit. Et fallit sæpenumero concepta opinio molli voluptatis consuetudine deformatos, ubi exhaustis facultatibus, quæ quantæcunque fuerint, vix immoderatis cupiditatibus sufficiunt, dura necessitas alios postulat mores, anhelans penuria, inopinata ægritudine suspensos, ereque alieno vacillantes, ita in diversa rapit, ut extremus dies, quem nondum perditis omnino rebus, adeo formidarunt, jam obscura & ignobili morte consiciendus, haud invito sæpe maneat. Dum vero hominem Nequiam tenui, penecillo delineaverò, benignitatis tuæ favorem imploro;

MEMBRUM PRIMUM.

UNDE FACTUS ET QVIS NEQVAM.

Amputatis supervacuis ambagibus, operæ pretium nos facturos speramus, si more inveterato & toleni satis, initium ab origine vocis introducatur, quam à sententiarum divortiis non immunem esse animadvertimus. Nonnulli enim neqvam dici contendunt à ne & quidqvam, media detrita Syllaba, solita maxime syncope, coactum iri neqvam, simili prorsus ratione ac id quod ne hili æstimatur dicitur nihili; sic qui in feriis & solidis rebus quidqvam præstare neqvit, dicendus sit neqvam. Quidam à neqveo quod omnium ignarus sit. Præ quibus sententiis, utut sano sensu exponi possint, ob maximam quoad literas convenientiam & brevitatem quam unice amant Latini prærogativam sibi vendicat Charisii sententia, nobisque ut commodissima & genuina maxime aridet (salva interim priorum auctoritate) qui neqvam quasi neqva dici asserit

involvens respectum ad fæminam, quâ ratione vel nequam erit, quo nulla mulier effæminata mollitie & lascivia est inferior. Scemma enim est viris erubescendum ob vecordiam dolorisque impatientiam infra mulieres taxari uti loquitur Cicero l. 1. c. 18. de off. in probris *maximè in promptu est, si quid tale dici potest: vos etenim juvenes, animum geritis mulierem.* Sic etiam Justinus Sardanapalum virum prostitutæ levitatis, fæmina corruptiorem compellat lib. 1. 2. Vel etiam nequam dicitur, cui ne fæminam in matrimonium committas. Veteres enim summa sagacitate intuebantur ingenia, matrimonia filiarum petentium, ut compertum haberent si aliquid monstru aluerint, ne imprudentes, in aliquod incommodum inciderent, in primis autem luxuriam toto animo averfabantur, quæ etiamnum cordatis hominibus detestanda, repudiolas quam maxime facit nuptias, quod recta etiam via secum reputavit Themistocles, filiæ enim nuptias duobus simul diversæ conditionis ambi-

tibus, aspernatus divitem luxus sibi suspectum, alteri tenuioris scilicet fortunæ, gnatam nuptum collocavit, innuens: *virum se quærere potius, qui pecunia egeret, quam pecuniam que viro. per nequam itaque, significatum volumus, non tantum hominem ignavum, sed etiam voluptati & luxuriæ deditum, calculum secuti Agellii, famosam & propriam vocis acceptionem hisce potissimum verbis exhibentis: Nequitiam pro solertia astutiâq; dici audio, sed veterum hominum, qui proprie & integre locuti, appellarunt nequam hominem nulli rei neque frugi bonæ. Pro firmanda assertionem suam adducit verba Ciceronis, luxuriam M. Antonii, in cauponis, dies noctesque consumere soliti, acerbissimis maledictis increpantis, ad ultimum hæc etiam verba addentis: O hominem nequam, nihil enim magis proprie possum dicere. Testatur insuper Q. Claudium in primo annalium, nequitiam appellare: *luxum vitæ prodigium effusumque.* ubi mentionem facit adolescentis summo loco nati, qui luxuriâ & ne-*

qvitiã patrimonium abligurierit. Cui præter probatos Romanæ lingvæ auctores, in quorum scriptis passim hæc vox pro libidinoso & luxurioso accepta legitur, pollicem premit Donatus: *neqvitia inqvies, proprie libidinosa inertia dicta est.* Observatis jam iis quæ circa notationis proprietatem, consideratu digna occurrunt, ad fontem neqvitiæ gradum proferre, animus est quem aperit sinistra educatio: *sola enim hæc, uti dicit Neuhufius, insitos ad virtutem stimulos, ad neqvitiã promovere potest.* Quantæque educationis sit vis in utramque partem, vix aliunde commodius colligi potest quam ex dicto hoc Platonis: *homo si recta disciplina instruat, in mansuetum prorsus animal evadit: sin vero non satis aut bene educatur, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal redditur.* Si itaque uti etiam Plutarchus de educatione liberorum inquit: *fons & radix probitatis est decentem sortiri institutionem* utique è diverso cum truculenta

mortalium natura, suapte ad libidinem
 nimis proclivis sit, nisi incauta ætatis
 primordia à pravis illecebris sedulo co-
 hibeantur, quod reliquum est, vix in
 rectæ rationis gyrum reflecti potest, &
 animus (*cujus imperio, corporis autem ser-
 vitio utimur*) laxatis imperii frænis, cor-
 pusque quod quanto habetur mollius tanto
 evadit nequius, cupiditatibus inflamerur,
 ægre admodum redacto ad debitam
 servitutis sortem, tumido corpore, ab
 imposito jugo resilit anima. quod fune-
 sto suo exitio satis superque ostendebat
 Dionis filius, apud Corn. Nep. qui con-
 cessa à Dionysio, voluptatis licentia, de-
 licatis dapibus vinoque, quotidie inter
 scorta oneratus, eò processit furoris,
 ut cum pater eum à perditâ vita re-
 vocaret, è superiori parte ædium, præ-
 cipiti saltu semet in terram demiserit.
 licet autem aliquantum temporis, virtu-
 tis studio impenderint, quamdiu restri-
 cte habeantur, & postmodum vel re-
 missior parentum cura, vel quibuscunq;
 custodiendi liberos, provincia deman-
 data

data fuerit, sumptibus ultra usus vitæ necessarios, indulgentes, impunè luxuriari ferat, lente propullulantibus virtutum furculis, ne fructum ferant, ponitur obstaculum. Πλῆτ' ὅ δὲ κακίας μάλλον, ἢ καλοκαγαθίας ὑπερέτης ἐστὶν ἐξέσιαν μὲν τῆ εὐθυμίας ἀδρόσκειάζων, ἵπτι δὲ τὰς ἡδονίας τὸς νέος ἀδρακαλῶν. Nec parum huic rei momenti addit, frequens cum pravo sodalitio commercium quod intendit. Cicero O. 2. pro sexto Rosc: *cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum, sensum omnem humanitatis amittimus.* Ut autem natura, studio partium, nunc instar benignæ fautricis, nunc instar tristici novercæ dona diversa dispensare audiat, haudquaquam tamen ii qui, exiguis rerum gerendarum adjumentis à natura instructi, animum ad omnem vitæ elegantiam dirigere nituntur, incassam operam collocant, sed exemplo Socratis, qui proclivi ingenio ad omnis generis vitia natus, nævos naturæ, statim ab in-

cunabulis, indefesso virtutis studio, ita
 compensabat, ut qui integritatem ejus
 vitæ, cognitam habuere haud immeri-
 tò consonum, corporis lineamentis, ju-
 dicio de eo ferentes, mendacii argu-
 erint: ab omni stupiditatis difficultate,
 recipit tandem sedula ætas, quamvis
 non æque citò & facilè ac illos, quibus
 opimiora contigerint dona. Multi ex
 aduerso, magnas sibi tributas dotes,
 corruptelarum illecebris sædant, quod
 frequens experientia docet, eoqve ve-
 hementius in neqvitiã declinant, quo
 facilius generosiorẽ indolem consue-
 tudine corrumpunt. Unde Themisto-
 clis præceptor, discipuli indole perspe-
 cta, fortunam in quam ascensurus e-
 rat, ancipiti hæc interpretatione omina-
 batur: *nihil mediocre puer futurus es, aut in
 magnum Reip. commodum aut in funestam
 illius perniciem* Plut: in Them. Proinde
 incertã plerumqve conjecturam, adfert
 tacita corporis figura, multiqve qui in-
 genii perspicaciã, expressis indiciis
 abditæ indolis mores, indagare stu-

student, sæpenumero falluntur. Quippe
 reperiuntur quam plurimi, qui, animo
 longe imparem vultum fingere pos-
 sunt: *quam multi Curios simulant, &
 bachanalia vivunt.* Juv. Idem etiam do-
 cet Neuh. l. 1. 3. *Nequam homines quan-
 do res poscit naturam pristinam exuunt, as-
 sumtamque novam, tantâ fingunt calliditate
 ut ad nata non adsita videatur.*

M E M B R: II.

NEPOTIS VOCEM APUD LATI-
 NOS ALIQUANDO IDEM SIGNIFI-
 CARE QVOD NEQVAM.

Excipit nativam vocis nequam ex-
 plicationem, obiter lustrare voca-
 bulum Nepos, frequenter apud latinos
 pro nequam usurpatum, quod quidem
 propriè notat ex filio filiave procrea-
 tum, cujus relatum est avus, ut ex Etymo
 patet. Festo dici placet quasi post, ut
 indigitetur qui natus sit patri, post fi-
 lium. Potius autem derivari videtur
 à Græco πῆς, hoc est pes seu funda-
 men-

mentum, quia nepos non est radix & fundamentum generis, quæ etiam sententia, suffragio, prisca auctoritate gravium virorum suffulta est. ratio vero obquam hoc nomine nuncupandus sit prodigus & luxuriosus à Gerb. Voss: in Etym: L. L. traditur & quidem gemina, priorem vult hanc esse: quod defunctis parentibus, superstites avi non tantâ curâ, suæ tutelæ demãdatos pueros educant, pro ut postulat tenella ætas; nam, vel eos indulgentius habent quam solent parentes, vel si severius cum illis agere velint, provectam tamen ætatem dolis & fallaciis opportunam, contemnunt pueri. Alteram hanc adducit cum scilicet maturè decedunt parentes, ignorant filii quantũ laboris exhaustum sit, in congerendis relictis sibi opibus, cum non ipsimet viderint, multo minus nervos & lacertos intenderint, ideoque deposito omni studio lascivire discunt. Similiter, attenta parum cura, circa hominis educationem, magnam ad nequitiam fenestram pate-

facit, uti primo innuimus membro? Hinc Plautus nequam hominem ædibus incuriâ tempestatisque violentia collapsis, comparat, quibus, ut ut validissima structura constitutis, splendideque expolitis, nisi justa adsit cura, qua ex templo obviam itur, ubi procellarum vehementiâ imbriumque injuriâ premuntur, nunquam utitur firmis, negligens paterfamilias, cujus verba, cum magnum; etiam ad interiora instituti nostri properantibus, paritura sint momentum, potissima allegare placet: *atque ubi illo immigrat nequam homo, indiligensque cum pigra familia, immundus, instrenuus, hic jam adibus vitium additur, bona cum curantur male, atque illud sæpe fit, tempestas venit, confringit tegulas imbricesque ibi dominus indiligens reddere alias ne volt. venit imber lavit parietes, perpluunt tigna putrefacit aer operam fabri: nequior jam factus est usus ædium, atque haud fabri culpa;* Sic etiam homini nisi damnata desidia, æquam sui procurationem, gnaviter pertendat, cum jactura pristini laboris, præsentissima im-

mi-

minet pernices, uti fatis superq; ostendit prædictus autor, verba cædens sub persona dissoluti cujusdam adolescentis, ulterius hoc modo vitam suam adumbrantis sibiqve priora adplicantis: *nam ego ad id frugi usqve & probus fui in fabricarum potestate dum fui: postea quam immigravi in ingenium meum perdidit operam fabricarum illico oppido. venit ignavia: ea mihi tempestas fuit, ea mihi adventu suo grandinens imbremqve tulit, hæc vercundiam mihi & virtutis modum deturbavit, detexitqve me illico post illa me obtegere negligens fui, continuo pro imbre amor advenit in cor meum, is usqve in pectus permanavit, permadefecit cor meum, nunc simul res, fides, fama, virtus, decusqve deseruerunt: ego sum in usu factus nimio neqrior, atqve adeo ita, hæc tigna humide putrent, non videor mihi sarcire posse, adeis meas, quin totæ perpetuo ruant, quin eum fundamento perierint, nec quisquam esse auxilio queat.* Neglectis honestis rebus ut putrida caro vermibus saturandis exposita, nulli usui inserviunt mortales, sed molli otio perpetuoqve silentio pro-

piorem pecoribus quam hominibus degunt vitam; nam gulæ & ventri perditæ obsequi dum student, effrenata libido omnes pessundat faculates.

MEMBRUM III.

NEQVAM ESSE QVOD GRÆCIS

ΑΣΩΤΟΣ

Ut liberius præbeatur anfa mentionem faciendi corruptelarum, quibus nequitiae mancipia obediendo in ganeum abeunt, cumque ad pleniorum argumenti enodationem plurimum interfit, non dubitamus quin boni consulas dexteraque interpreteris B. L. quod ἡ nequam per linguas exoticas communi autem usu maxime inclytas, expositum eamus. Sistitur itaque nobis ductu atque suffragio A. Gellii, uti veritati etiam maxime consentaneum videtur quod idem sit ἡ ἀσώτος, unde teste Cornelio Agrippa, Græcos ob perpetua nequitiae studia, pro Asiaticis dictos fuisse Asotas constat. Originem vocis quod attinet, componitur ex a privativo & σάω

qua-

quasi *σώζεις μὴ δυνάμενος*, perditus, luxu-
 riosus, de quo nulla est spes. ut nihil ho-
 mine est dignius quam frugalem exhi-
 bere vitam; sic nihil magis ex adverso
 exitiosum citiusque in pernicem devo-
 cat, quam nefanda voluptatum obsequia
 nihil enim perniciosius homini quam
 nox mulier & vinum, hisceque corru-
 ptelis inquinatis rem perditam restitui,
 & ad bonæ vitæ frugem emergere vix
 inexpedito est. Quippe sicut navis de-
 stituta gubernatore, ubi in scopuloso ma-
 ri inter lævissimos jactatur fluctus, ut ad
 incolumitatē pervenire vix sperari pos-
 sit ita hominibus, quorum vires cupi-
 ditatum irritamentis confectæ stupent,
 iter ad placidum virtutis portum præ-
 cluditur. Neglecto autem damno quod
 dabit tandem gulæ & ventris obsequi-
 um, invaluit perversus nimis mos, pri-
 scis temporibus etiam frequens. quo ne-
 quitiaæ satellites, vino ubique ructantes
 verbis gestibusque ad omnem lasciviaæ
 petulantiam compositis titulum, festivaæ
 urbanitatis promereant. Quem ita re-
 pre-

prehendit Plut. de inst. puer: ὁρῶ δὲ ἐγώ γε
 τὰς τοῖς συρφετώδεσιν ὄχλοις ἀρετῶς καὶ κε-
 χαρισμένως ἐπιτηδεύοντας λέγειν καὶ τὸν βίον
 ὡς τὰ πολλὰ ἀσώτους. Sic apud Babylo-
 nios non tantum ab honestate remotum
 non erat, luxuriosa sectari convivia, sed
 etiam detractis pedetentim vestimen-
 tis, contra ipsius naturæ ductum cor-
 pus denudare prohibentis, de industria
 pudorem violare, comitatis laudi duce-
 batur. Curt. 5. 1. nec dubitant inflata
 pectora & ab honestis rebus miserè va-
 cua iniquiori fato depressos, ingenu-
 umque pudorem in sermone & actioni-
 bus præ se ferentes, alto, supercilio
 despiciere, ut haud injuria sæpe queri
 necessum habeant cum Adherbale apud
 Sallust: *probitatem per se parum tutam esse.* hoc
 Pausaniæ contigit, cui cum opima cujus-
 vis generis dona a regibus mittebantur.
 frugalitatis pristinae tenax, nihil de veste
 aut victu mutabat, sed assumtis paucis
 de vilissimis, ad implenda naturæ desi-
 deria, delicatiora servis dispertiit, quo
 facto ab iisdem contemni cœpit. Ejus-
 mo-

modi præposteros homines in sui admis-
 sos commercium, optimâ amicitia pro-
 seqverentur Ephesii, quos honestis rebus
 susque deque habitis; tale decretum pe-
 pigisse testatur Cicero Tusc. Q. 5. *nemo
 apud nos frugi nemo unus excellat, vel si ex-
 celluerit abeat.* Ideoque tradente Strabo-
 ne singularis modestiæ & frugulitatis
 virum Hermodorum ejecerunt. mera
 talium stultitia censorio hoc Augustini
 elogio, eludi meritò potest: *vide miseriam
 ebriosorum! se dicunt esse viros, qui in ebrieta-
 tis cloaca jacent, & illos dicunt non esse viros,
 qui honeste & sobrie stant jacent prostrati: & viri
 sunt: stant erecti & viri non sunt, victor ebrie-
 tatis vituperatur & victus ebrietate laudatur.*
 His namque prava libido unice curæ
 est, cui gratificando non mediocres ad-
 hibent delicias, nec potu edulioque con-
 tenti cujusmodi sua profert terra, sed
 cupedias exteris, advectas, oris, ardent,
 quas non gustu sed pretio metiri viden-
 tur, cum nullis sumtibus parcunt, dum
 modo ad turpissimas cupiditates perti-
 neant. Delicatos holce nepotes per mi-

me in scriptura depictos comperimus:
 edamus, bibamus eras enim moriemur.
 Euge anime mi habes multa bona re-
 posita, reqviesce, bibe, indulge voluptati.
 Es. 22. 13. 1. Cor. 15. 52. Luc. 12. 19. Amos.
 6. Ridiculum sane monstrum & mani-
 festam voluptatis belluinæ documentum
 est Philoxenes à quo merito ducendum
 est agmen ebriosorum, si modo voti sui
 compos, gruino instructus fuisset collo,
 quo longiori deliciarum descensu pleni-
 ores caperet voluptates, nihilominus an-
 tesignanus sat dignus: expetiisse sufficit:
 qui etiam pretiosum ferculum aliquan-
 do emturus dixerit: *hoc spavius & jucun-
 dius erit, quo majori pretio illud emero*
 Summum autem dedecus est insana vi-
 ni dulcedine oblectari, quod turbata ratio,
 nimiâ interperantiâ, pro ut fert effre-
 nata libido in varia vitia titubante pede
 procedat. Unde Apostolus Eph. 5. 18.
 inquit: *μη μεθύσκεσθε οἴνω, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία*
 quod non ita simpliciter accipiendum, est
 quasi vinum per se infectum esset aliquo
 vitio, quod Deus præter alia dona, ho-
 mi-

minibus in sui usum, benignâ largitur manu, sed iis imputanda est neqvitia, qui immoderato se se obruendo vino, pretiosis DEI muneribus abutuntur. Largo vino, cupediisque, ventrem irrigatis, solitus est mos, ne quid profundæ libidini desit, sarietatem lautitiarum vel ignavo somnio vel ludicris artibus interpolare, quorum frequentissimæ sunt saltationes, in quibus & similibus nullius pretii artibus, præ cæteris qui ferre palmam nituntur, apud eos quibus mens est sanior male audiunt, eam in primis ob causam, quod dum illis addiscendis omne movetur saxum, cum temporis rei que familiaris dispendio, rebus longe majoribus magisque necessariis super sedent. Unde summus quidam saltandi artifex conversis omnium in se oculis, ad Platonem ultro accessit, non diffidens quin insignis sibi etiam ab eo haberetur honor. Plato autem spectato aliquantisper lasciviori corporis motu, omni defraudatum laude sic delusit: *fieri nequit,*

*eum qui in parva re tantum euræ impendat serię quidquam rei didicisse Rhodig: 9. & saltationibus nimis deditus suspicionem haud perplexè præbet, sese inpropatulo habere pudicitiam unde quidam è patribus de arte hâc tale tulit iudicium: choream esse circutum, cujus centrum sit diabolus, qui in medio chorizontium sit, ignem concupiscentiæ inflamans idcirco etiam Salustius Sempronię vitio vertit, quod psallere & saltare elegantius potuerit, quam necesse est probæ. Nec minima luxuriæ instrumenta sunt chartæ lusoriæ cum aleis & tessleris, quibus ludentes ex alieno damno suum quærunť lucrum, discrimini enim lusus oblatam pecuniam jure quasi in suam redigit ditionē, triumphū agens nec citius quam hoc pacto marsupia locupletissima evacuari possunt. Recte itaque monet quidam: *ludens taxillis bene respice quid si in illis spes tua, res tua, fors tua, raors tua, pendet in illis.* Quippe hisce exercitiis qui consueverint, tanta ludendi flagrant cupidine, ut quam diu quidquam*

quam

quam illis adæundi reliquum sit, desistere vix queant. Pasc: Justus meminit hominis cujusdem aleis tesseriisque mirifice delectati, quibus cum vitam unice mancipaverit, nec moribundus eas ex animo dimovere potuerit. Præcepit itaque sibi adstantibus, ut detractâ cadaveri pelle aleas & fritilla, omni studio ornarent, ex ossibus autem carne denuclatis tesserae conficerentur. Hoc vero nomine exercitia hæcce DEO & cordatis hominibus maxime infesta sunt, quod illis intenti, jurgiis, diris & cædibus non raro cuncta complent. Nec secura erit possessio rerum arte hæc flagitii plenâ partarum, male enim quæsitum cito perit & diabolus impiger venator, qui omni imminet occasione quomodo homines in transfennam ducet, ejusmodi lucro suæ rei solet servire, ut lubricis blanditiis sibi obnoxios, æternis tandem, pro arbitrato, tormentis mactet. Quot etiam præclari viri meretricum lenociniis irretiti omne decus libidinû gurgitibus pessumdederint, sic

Simfon cui nemo fortitudine, & Salomon cui nemo sapientia antisterit, prava libidine ingentia animi dona fædarunt, exemplis autẽ quid opus est quæ antiqua tulit ætas, cum tot venerei nepotuli, in hac rerum perversitate, ultro nobis obverfantur, qui effrenem explere libidinem manibus pedibusque nituntur, opimum sibi expetentes decus, operâ in turpissimis hifce *ασωτίας* exercitiis egregiè præstitâ, ob quam digni sane ut cum Cretensi illo adolescentulo, coronati lanâ, in perpetuam ignominiosæ mollitiæ notam incedant *Æl. 12. 12.*

MEMBRUM QUARTUM.

NEQVAM ESSE QVOD EBRÆIS BELIAL.

Postulat jam methodus quam nobis sectandam proposuimus, ut continuetur expositio τῆς Neqvam, per synonymum Ebræâ lingvâ, quod adstruente, suo calculo, Drasio, indigitatur nomine Belial: *querens* inqvies ubi mentionem facit hujus vocabuli, *vocem una latina ex-*
pri-

primere, non inveni nomen aptius quam ab Ant:
 Cevalerio usurpatum Neqvam. Ut autem rite
 effectui detur, explicationem ejus ali-
 qualem exhibuisse oportet. appellatio-
 nem sortiri volunt nonnulli a בלי sine vel
 בל neutiqvam & חר על profuit, quasi no-
 tetur inutile terræ pondus quippe, ne-
 qvitiae indulgentes, quibus tam parum
 curæ cordiqve fuerit suum commodum,
 multo minus aliis prodesse nituntur. Alii
 a בלו sine, & עלל agere vel conari, ut
 indigitetur otio & segnitiei deditus. Alii
 ex בלי & עלה ascendit, quasi ad nullum
 honoris fastigium pervenire possit. Alii
 â בלו & על sine jugo. Ultima hæc senten-
 tia, quamvis priores â re nostra minni-
 mè alienæ sint, ut ab eruditis maxime
 probatur, ita etiam proposito nostro con-
 venientissima videtur. Quia homines
 neqvam, jugum patienter non ferunt, â
 quo nemini immunitate frui licet, qui
 frugi & integram vitam agere velit, quod
 fit cum damnata omni molestiarum &
 calamitatum acerbitate in perpetuo luxu
 delitescunt. Nec inficias eundem, quan-
 do-

doquidem crebra in scripturis fit men-
 tio nominis Belial, quod non uno eo-
 demque modo acceptum semper occur-
 rat, cumque nostri instituti sit, obiter
 saltem idem conferre, cum voce ne-
 quam, eam tantum significationem ad-
 mittimus, quâ hæc ipsa vox considerata
 fit, quæ acceptio ut plurimum famili-
 aris ex scriptura elici potest. ubi enim
 homines procacissimæ levitatis & mol-
 litiei exprimere velit Spiritus Sanctus,
 hoc nomine ut dignissimo utitur. Sicut
 filii Heli, qui nimiâ patris conniventia
 depravati, vitam quam illibatam ser-
 vare debuerint, luxu rerum, per sacri-
 legia, partarum contaminarunt. quip-
 pe non tantum delicatiora de sacrificiis
 DEO destinatis, ablata libabant, sed et-
 iam *dormiebant cum mulieribus, quæ obser-
 vabant ad ostium Tabernaculi*, filii Belial
 appellantur. 1 Sam. 2. sic etiam eodem hoc
 nomine detestanda Gibeonitarum indi-
 gitatur libido Jud. 19. 22. ob quam tri-
 bus Benjamin funditus fere deleta est.
 Nominasse etiam juvabit quod invete-
 ra-

ratus ille impostor diabolus 2. Cor. 6. 15. nomine Belial, maximo suo merito, insignitur; quippe sua mancipia quæ idem merentur nomen, tam sedulo nequitiæ obeunt munia, ut ad ea in ludo quasi docti videntur, cui magister impiger est diabolus, nam eo pertinaciori labore, homines nequitiæ erroribus instillandos venatur, quo propius potentiæ suæ adesse finem sciat, cujus veneficas machinationes, nemo unquam mortaliū evaderet, nisi validum iis objiciat obicem, divina benignitas. in tantum tamen, gloriatur, eventum suis desideriiis respondere (proh dolor) ut si accensa lucerna, procedat etiam in medio Christianorum cætu cordatus Diogenes absit ut queratur operam & oleum perdidisse, ut ut vereri necessum sit, ne paucitatem frugalitati vitæ litantium, contractâ excipiat fronte. Aut si ab inferis existat morosus Simeus, qui violentiam linguæ in prophetam Davidem regno extorrem, jaculabatur; quot in ultima hac deficientis seculi turba, potiori

jure, infami hoc nomine Belial notaret, nisi quod abominor, consternata lingua, multitudinis admiratione, pronâ animi contentione prægnanti, hæreret: Hi ut in voluptatum sordibus volutari consueverint, nullumque difficultatis onus subire didicerint, sic ad sublevandam pauperum indigentiam, non aliâ feruntur mente, quam de divite legitur Luc. 16. qui Lazarum vix inter canes, micis colligendis dignatus fuerit. Sin autem ad profundam ingluviem quidquam sit, conferendum omnium expensarum prodigi pravæ libidini placere student, quodque portenti instar censendum, quod bona ultro ad interitum nutantia, in nequitia ostentationem potius subvertunt. Smili prorsus modo ac de quibusdam olim luxuriantium accepimus, exempli loco de Heligabalo apud Lamp. legitur, qui naves sæpe pretiosis mercibus onustas, oblectamenti ergo, demersit, porticum auri scobe stravit, & aquâ rosaceâ piscinas implevit. Sic etiam narrat Æl. de Poliarcho Atheniensi quodam,

dam, quod canes & gallos mortuos, convocatis amicis, magnis quasi funerum expensis, extulerit, inque eorum sepulchris, columnas epitaphiis inculptas erexerit. ob cujusmodi facta à cordato quovis infamiae nota inuri meruere, cum omnibus qui suis insistant vestigiis.

MEMBRUM QUINTUM.

NEQVAM ESSE IDEM QVOD

BANQVEROUTE, Banqwerot/
& Svet: vulgo Panfrätt.

Fluxam hanc mortalium sortem, tot tantisque vicissitudinibus obnoxiam ut cum se ærumnarum exsortes, in summo rerum fastigio, pro lubitu, stare credunt, ad miserrimæ calamitatis ima deturbati jacent, Gentiles olim ubi viderint, tale tulisse judicium liquet: voluptatis nimirum & doloris mutuis criminationibus, diu vexatum Jovem, easque cum dirimere non potuerit, dolorem voluptatati indissolubili combinasse nexu. Saniora edocti, fictitias tabulas missas facientes; sibi saltim in ani-

mum inducant, frustra in rerum hac
 fragilitate, de voluptate laborari cui ni-
 hil intercedit ægritudinis: *ita namque*
comparatum est in etate hominum, ita Deus
plecitum, voluptati ut maror comes conse-
quatur. Si falsam genio indulgentiam
 voluptatem oculis subjicere velimus, eam
 miseriam eò propiorem esse in confesso
 est, quo promptius ei præsterur obsequiũ.
 Nam præter ea incommoda, quæ indi-
 es ex continua intemperantia resultant,
 haud mediocris luxuria jactantes cru-
 ciabit dolor, cum exutos familiari re,
 dura exceperit egestas, unde merito cum
 apibus voluptas comparari possit, qui-
 bus in ore est mel, aculeus vero in cau-
 da, Impediti enim cupiditatibus, qui-
 bus avide indullerint, eo desperationis
 adducuntur ut res ad funem & restim
 reditura videatur, dum adulta abundan-
 tiæ consuetudo angustiarum impatiens
 sit. Infamia subeunda, exolverit virtus,
 laboret fides & animus male conscius
 exagiterur. Itaque vox Nequam per
 vocem svecis maxime usitatam *Bankrot*
 haud

Haud incongrue nobis exponenda venit
 prævia hac ratione. Nequitia utpote so-
 pitos, cum opes, quantiscunqve tandem
 abundant, non alio modo tractare conan-
 tur, ac si formicis objicias papaverem,
 juxta effatū salomonis Prov. 6. *quasi viator*
egestas & pauperies quasi vir armatus mane-
 bit, & ubi vix unquam à luxuria vacuum
 detur tempus, inopia sodalitiū sibi jun-
 cta, instar perpetui comitis utitur ho-
 mo nequam, uti vult Plautus inopiam
 luxuriæ filiam nuncupans. Justâ pariter
 æstimatione, externa bona, metitur Te-
 rentius: *hæc perinde sunt ut illius animus,*
qui ea possidet: qui uti scit, ei bona: illi qui
non utitur rectè, mala. Divitiæ enim sic-
 ut virtuti operantibus, qui eas devoto
 animo, in DEI, à quo acceptas habent,
 gloriam, conferre nituntur, instar ma-
 gni adminiculi, ad superandas difficul-
 tates prolunt; ita dissolutis hominibus,
 luxuriæ instrumenta existunt, easque
 dum profundis cupiditatibus, nulla quæ
 inservit, res intermittatur citò perdunt.

ita

Ita quidem ut si ad divitiis eminentes, oculos convertas, luxuriâ vero interim coopertos, cuncta Sordibus angustiisque scatere comperies, ædificia non modo ad usum sed etiam speciem magnifice constituta jam ruinam minitari. si interiora contempleris, triclinia nitida venustatisque plena jam squalida, omnique rerum elegantia vacua, culinas copiosâ suppellectili instructas, in quibus vel abundantiam vel industriam apparantium, mireris, in ambiguo est, vix vulgarem victum ad propullandam famem præbituras. Cellas tot vini generibus lætas, exhaustas. Prædiis, quæ magnificis verbis jactaverint, extorres in miseria vitam trahere. Pro pretiosis & ad modum nuperrime receptum, confectis, luceratas & aboletas indui vestes, ingentes pristinos defuisse redditus, alienumque quod conflaverint æs, severe exigi. Præterea fauces vix capaces vini, quod sine modo ingerere studuerint, jam pruriunt. Saginam corporis nimia lautiti-

arum assiduitate contractam, depone-
 re s'vadet res angusta domi, effusi in im-
 moderatam lætitiã, in fermento ja-
 cent ut est vetus adagium: fames & mo-
 ra bilem in nasum conciunt. Moresque
 suos averfantib⁹ qui sibi nihil nisi ludibrio
 fuerint, jam ultro semet deridendos præ-
 bent, nam uti olim neqvitia infames va-
 riis contumeliis proscindebantur, quibus
 in primis molesti fuere Thyrreni pueri
 vacua gestantes marsupia, nutabant ac
 sibilabant, intentisq; in eos digitis, gra-
 vissima fecere convitia, teste Heraclide;
 sic hodiernum inopia, quam perpetuã
 contraxerint luxuriã, summa,
 digna est ignominia. Res autem quantã
 ægritudinis plena est, vitam, omni opu-
 lentiã rerumqve successu lætam, inopi
 & ærumnosa mutare, quæ cum æquo
 animo ferri neqvit, multiplici anxietate
 consternatam eorum curam, solet di-
 stringere, quã occurrere possint suis an-
 gustis quarum neminem misereri sci-
 unt, cum infortunio minimè debentur:
*quippe de mendico malè meretur qui ei dat
 quod*

quod edit aut quod bibat, nam & illud quod
 dat perdit & illi producit vitam ad miseriam
 Plaut. Constat ex veterum monumentis
 multos simul cum re consilium amisisse,
 rædioque egestatis, infestas sibi admo-
 visse manus. Sic Apitius summe luxu-
 riosus, facta computatione divitiarum
 animadvertens 125000 aureorum dila-
 pidata, residua saltem 12500 tanquam
 in ultima victurus fame veneno fata
 præcepit. Factum simile apud Ælianum
 legitur de Pericle, Callia & Nicia, qui
 re per luxum perdita, ubi se pauper-
 tati sustinendæ pares fore diffidebant,
 ultimum conventum acturi, ne unquam
 jejuna & destructa luxuria videretur,
 in pristinum morem instituunt epulas,
 inter quas haustis poculis in quibus ci-
 cutam consultò diluerant, ex hac vita
 migrarunt. Solet quam maxime neces-
 sitas & perversa fiducia, ignavum ani-
 mum ad fallaces machinationes rapere,
 quod innuit Marius apud Sal: ubi se o-
 mnibus flagitiis dedecoravere turpissimi viri,
 honorum præmia ereptum eunt, Quod solerter
 fa-

factitatum legimus à Dispensatore. Luc.
 16. qui ubi remotum ab officio, sum-
 mâ angustîâ circum septum iri se vide-
 bat, doctis fallaciis sibi providit. Unde
 etiam pro hominibus callidi ac vertu-
 ti ingenii apud latinos accepta nonnun-
 quam reperitur vox Nequam, quo sen-
 su utitur Phædrus: *vis & nequitia quid-*
quid oppugnant ruit & more maxime usur-
pato, hoc nomine compellantur subdoli
& vatri homines (quod innuit Agelli-
us, cujus verba circa initia recitavimus)
 qui ut canes clam mordaces innoxios
 dolis fallunt, quia corpus nequitîâ con-
 tinuâ debile & exhaustum, alio modo ac-
 quirendis rebus ineptum; quibus carere
 nequit, inveteratæ luxuriæ consuetudo.
 Ut Cicero de flagitiolo Catilinarîæ con-
 jurationis circulo loquitur: *res jam pridem,*
fides eos deficere cœpit, eadem tamen in abun-
dentia libido permanet. Verum quam insana,
 Deoque invisa est hæc solertia, ubi de-
 speratis viribus, proximum astu supplan-
 tatum, injuriis onerare properant, tam

prope ruinam versantur. Reperiuntur etiam propriæ domus olores per, vicinias discurrentes, computationes sectantes, haud dissimiles Plautinæ anus, quæ odorata vinum per tenebras lequebatur, sed experiuntur re ipsa non raro, verum esse vulgare illud dictum :

Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

Blande utcunque, plenis passibus nequitia viam grassantibus, sua adriserint conamina dum sanioris consilii impatientes, donec inopia succumbant, libidinum continuarint obsequia eo tamen nequitia ubi perventum fuerit, itur quam maxime ad tritum illud : *non putarant rem ita cessuram esse.* qui cum nihil sibi reliqui esse, præter animi ægritudinem quam auget amara, pristinae opulentia vitæq; antea actæ, memoria vident temeritatem suam ultrò eunt accusatum, aliosq; eligerent mores, nisi turbatis tam perditè rebus, restituendis, irritus sæpe exsudetur labor. Nihil itaque hominis industria dignius quam quotidie cavere, ne quid fiat pridie, quod pigeat postridie

die, assiduūq; animum ad eas cogitationes versare, quibus in seriam caducarum rerum æstimationem feratur, ne nimiam eorum cupidine bona potiori expendenda jure, periclitentur, quod fit aurum & scoriis hoc est intemeratum virtutis studium à perdita nequitia sequestrando, quam instar nocivi veneni cavere debet, qui damnum certissimum evitare velit, viresq; omnes in id conferendo ut seriis rebus cura indefessa impendatur, dum temporis affulgeat opportunitas, ne inter vanos desperantium gemitus sera in posterum subeat pœnitentia. Sic cœlestes detrectantes epulas quantum neglexerint boni serò comperiunt. Serò accensis facibus, fores pulsant fatuæ virgines. Adsit itaque nobis DEUS ter Optimus Maximus ad cujus nutum semper intenti, de animi perturbatione securam exigamus vitam, ut fragilitate hac destitutos, solidum atque nulla ægritudine contaminandum, maneat gaudium, cui sit Laus, Honor & Gloria in secula nunquam terminanda.

In Egregiam Viri Juvenis Præstantissimi
DN. NICOLAI STECKSENI Wellroboth,
Dissertationem, qua, HOMINEM NEQUAM, pub-
lice omnibus inspiciendum proponit.

Tritum illud omnium ore fertur, proverbium
Non quam diu, sed quam bene, Quod ne-
scio num optimo jure tibi, suavissime, amice
vendicas Trienniū est, ex quo, relicto patrio Gy-
mnasio huc adpulisti, nomenq; tuum, sed auspica-
to, inter cives inferi fecisti; Diu inquam, hæc non
eras, sed bene eras. Quis enim, etiam acutissi-
mi ingenii juvenis, intra tam exiguum tempus,
tantam doctrinæ supellectilem adquiret, nisi dili-
gens. Assiduos sanè fuisti: non inter pocula noi⁹,
nec mollibus fœminarum amplexibus tactus;
nec aliis quibus cunquè vitiis notatus. Testatur
serium tuum in omnes Nequam odium, dete-
ctus ille hac dissertatione publica Homo Ne-
quam; testatur doctum scriptum, adstipulantur
omnes boni. Nullus itaqvè, nisi alienæ laudis
impatiens, invidus & integræ famæ corruptor,
ægrè feret, si lineis hisce, parenti tuæ hone-
stissimæ, filium optimum, fratribus egregiis
ceterisque cognatis, quorum desiderio jam penè
satisfecisti. Tibi deniquè ipsi, futurum decus gra-
tulator, simulquè augmentū à DEO optimo maxi-
mo, studijs optime inceptis, precatione exposco.

*Sic gaudium animi ob amici pro gres-
sus conceptum explicare voluit.*

LAURENT. L. WILSTADIUS.